

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2509

Auteur(s) : Eudes, écuyer, Le Pont (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1285, 27 mars

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Eudes Du Pont vend à la Maison-Dieu de Coutances onze boisseaux de froment et 1/6 de boisseau de rente annuelle, que ladite maison lui devait, le tout pour la somme de quatorze livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° CIX, p. 99-100.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quod ego Odo, dominus de Ponte, scutifer, vendidi et concessi finaliter et omnino dimisi in perpetuum priori et fratribus Domus Dei Constantiensis undecim bussellos et dimidium bussellum et terciam partem dimidii busselli frumenti annui redditus, diminuendo redditum annuum que michi debebant et reddebant et reddere tenebantur annuatim de tenementis et terris, que et quas de me tenent dicti prior et fratres in parrochiis Sancti Petri et Sancti Nicholai Constantiensis in Mesnillio Bouteril, percipiendos, habendos et tenendos de cetero in perpetuum, dictis priori et fratribus et eorum successoribus, libere et pacifice, sine reclamacione et contradicione mei et heredum meorum, salvis tamen juribus capitalium dominorum et redditibus meis annuis residuis cum regardis, quos michi adhuc debent annuatim dicti prior et fratres de tenementis et terris supradictis et aliis meis juribus quibuscumque. Et ego dictus Odo de Ponte et mei heredes tenemur et tenebimur de cetero in perpetuum predictis priori et fratribus et eorum successoribus hec omnia predicta et singula fideliter observare, garantizare, deliberare et defendere contra omnes bona fide et in omnibus observare indempnia, vel alibi in nostra propria hereditare, ubicumque sit vel fuerit, valore ad valorem competenter excambiare, si forte garantizare, deliberare et defendere non possemus, salvo tamen jure domini Regis Francie. Et ego dictus Odo juravi, tactis sacrosanctis evangeliis, hec omnia predicta et singula me fideliter servaturum, et quod contra premissa per me seu per alium de cetero non veniam ullo modo. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione taliter a me facta, predicti prior et fratres quatuordecim libras turonensium michi donaverunt et persolverunt in peccunia numerata, quam peccuniam ipsi habuerunt ex dono Michaelis de Porta, burgensis Constantiensis, et Nicholae uxoris sue, ad suum obitum faciendum singulis annis in domo supradicta, videlicet ad pitanciam inter fratres et pauperes dicte domus. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, et ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie M° CC° octogesimo quinto, mense Marcii, die martis proxima post Annunciationem Dominicam.